



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXV. Junii Festum S. Gulielmi Abbatis

Paderbornæ, ca. 1785

In II. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60426](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60426)

DIE XXV. JUNII
FESTUM
S. GULIELMI ABBATIS,
Duplex minus.

Omnia de Communi Confess. non Pont.
praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui infirmitati nostrae ad teren-
dum salutis viam in Sanctis tuis exem-
plum et praesidium collocasti: da nobis,
ita beati Gulielmi Abbatis merita venerari,
ut ejusdem excipiamus suffragia, et vesti-
gia prosequamur. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectione IV.

Gulielmus nobilibus parentibus Ver-
cellis in Insubria natus, vix quartum de-
cimum aetatis annum expleverat, cum,
miro quodam pietatis ardore flagrans, Com-
postellanam peregrinationem ad celeberri-
mum sancti Jacobi templum aggressus est.
Quod iter una amictus tunica, ac dupli-
ferreo circulo praecinctus, nudisque pe-
dibus prosecutus, asperrima frigoris et
aestus, famis et sitis summo cum vitae
discri-

discrimine perpessus est incommoda. Reversus in Italiam, novam ad sanctum Domini Sepulchrum peregrinationem molitur; sed quo minus propositum exequatur, varia atque gravissima intercedunt impedimenta, divino Numine ad altiora et sanctiora religiosam juvenis indolem retrahente. Porro in Soliculo monte biennum inter assiduas preces, vigilias, chameunias et jejunia commoratus, divina subnixus ope, coeco lumen restituit; cuius miraculi fama percrebrescente, jam Gulielmus latere non poterat; quare iterum Hierosolymam cogitat, et alacris se itineri committit. **R.** Honestum fecit etc,

Le^ctio V.

Dei autem monitu, qui eidem apparuit, à proposito revocatur, utilior et fructuosior tam apud Italos quam apud exterias nationes futurus. Tum monasterium in Virgiliani montis cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero et inaccesso miranda exaedificat celeritate. Socios deinde viros religiosos adsciscit, eosque ad vivendi normam, Evangelicis praeceptis et consicis summopere accommodatam, tum certis legibus, ex beati Benedicti instituto magna ex parte de-

desumptis, tum verbo et sanctissimae vitae
exemplis informat.

R. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Aliis deinde monasteriis erectis, clarior
in dies Gulielmi facta sanctitas, multos ad
eum undique viros perducit, sancticatis
odore et miraculorum famâ allectos. Nam
muti loqueland, surdi auditum, aridi vi-
gorem, varioque et immedicabili morbo
laborantes, sanitatem ipsius intercessione
recepérunt. Aquam in vinum convertit,
aliaque complura mirabilia patravit; inter
quae illud non silendum, quod muliercu-
la, ad ejus castitatem tentandam missa, in
ardentibus prunis humili stratis, illaesum
se volutarit. De qua re certior factus Ro-
gerius, Neapolis Rex, in summam viri Dei
venerationem adducitur. Demum tempore
sui obitus Regi aliisque praenuntiato, in-
nume:is virtutibus et miraculis clarus ob-
dormivit in Domino anno salutis millesi-
mo, centesimo quadragesimo secundo.

R. Iste homo etc.

IN III. NOCT. Homil. in Evang. Ecce nos
reliquimus omnia, ut in Comm. Abbat.

DE-

